



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

II. Eidem. De lunari munimento bis ante ejus oculos acriter à nostris
expugnato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

EPIGRAMMATA.

I.

R E G I.

*De Trajecto ad Mosam, post duodecim acerrima
propugnationis dies capto.*

TRAJECTUM si te ausa fuit, Lodoice, morari,
Et tua bisenos arma tenere dies:
Non fossæ hos animos, non cornibus horridus agger,
Lunave mille vomens funera, mille neces;
Non cæcis immane tonans Vulcanus ab antris,
Et pavido in cœlum fulmina missa Jove:
Virtutis Batavo insuetæ mentem ipse dedisti,
Inque tuum crevit vis inimica decus.
Ignavos fuerat tibi succubuisse pudendum:
Qui sic restiterant, hi meruere capi.

II.

E I D E M.

*De lunari munimento bis ante ejus oculos acriter
à nostris expugnato.*

QUOD genus hoc lunæ, quæ cornu infausta minaci
Noctes atque dies exitiale rubet?
Quæ ferri nimbos, & ahenum nuntiat imbrem,
Fulminaque ardenti grandine mixta ciet.
Dii prohibete minas, omenque avertite dirum:
Ne pestem ah! Francis perniciemque ferat.
Tuque ô læta suum quem dicit Gallia solem,
Famæ deliquium ne patiare time.

Bb iij

Cur timeas autem? feralis crimina lunæ
 Corrigere aspectu scilicet ipse potes.
 Coelestem reficit lunam sol lumine amico:
 Deficit ante oculos hæc, Lodoice, tuos,

III.

E I D E M.

*De cornuto, ut vocant, opere occupato à nostris, cum
 paratus ad subruendam lorica cuniculus
 frustra fuisset.*

CORNIBUS horrendam, rostroque decemplice molē
 Dum parat emota vertere fossor humo:
 Irritus erupit, Batavoque innoxius ignis;
 Et damnum nostris perniciemque tulit.
 Virtutis grande ingenium est, cum principis ora,
 Atque oculos testes sentit adesse sibi.
 Speratam reperit qua suppleat arte ruinam;
 It miles, gladiis & sibi pandit iter.
 Jam peccare igni, Lodoice, impune licebit:
 Cuniculum & flammæ Gallicus ensis habet.

I V.

E I D E M.

*De duobus Trajectis eodem mense, recurrente anno,
 ejus auspicio ductuque captis.*

STANT geminæ Latiis structæ legionibus urbes;
 Ambæ trajecto nomen ab amne ferunt.
 Nam superimposito Rhenum altera ponte coercet;
 Altera captivis te, Mosa, frenat aquis.
 Utraque sub domino servire indigna Batavo,
 Excussit Franco vindice turpe jugum.